

05

A

1213



Y

M

E



3

ΥΠΟΣΤΑΣΕΩ-
ΓΡΑΦΙΑΝ
Philo-Theo-sophicam

Benevolo

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
INDULTU,

In Celeberrima Wittebergenfium Academia
siftunt

PRÆSES

M. GEORG. ANDR. SYBELIUS,
Sufato-Westphalus,

Et

RESPONDENS

JACOBUS BONNERUS,
Saxomonte Waldeccus,

*Ad diem XXVI. Junii Anno M DCC.
boris confœetis matutinis.*

VITEMBERGÆ,

Ex Officina CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

YΠΟΤΑΞΗ
ΤΡΑΦΑΝ

ΡΑΙΟ ΤΩΟ ΙΟΠΙΕΑΜ

ΕΡΕΥΝΗ
ΑΝΤΙΣΤΑΣΗ ΤΗ ΕΠΙΣΤΑΣΙ
ΙΝ ΟΥΛΕΝΤΙΝΗ



M. GEORG. SYBELLUS

05 A 1213

JACOBUS BONNERUS

ANNO M. DCC.

CHRISTIANI SEBASTIANI





§. I.



Ποσίσιως naturam investigaturi, primo statim in limine deprehendimus, varias eam à variis fortiri significationes, aliter enim Philosophi antiquiores, aliter codex sacer, aliter scriptores Ecclesiastici, aliter denique philosophi recentiores de hoc vocabulo commentati sunt, aliis in concreto, aliis in abstracto illud usurpantibus.

§. II. Communiter atque propriè vocabulum hoc denotare dicunt τὸ καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως ὑφιστάμενον vid. Smidas in hanc vocem: Dicitur enim καθ' ἑαυτὸ ὑφιστάμενος i.e. ὑπάρχειν subsistere, vel πρᾶγμα ὑψιστὸς καὶ ἀσυνάδες res natura & reuera subsistens.

§. III. Τπόσισις etiam Veteribus philosophis, pro eo, quod singularem & propriam rationem in se habet, i.e. quod veram ac realem habet existentiam, accipitur, ut nūbis est ὑπόσισις, sed arcus in nubibus, ἑμφασίς, Aristoteles de mundo τῶν ἐν αἰθέρι Φαινοσμάτων, τὰ μὲρ τῆς κατ' ἑμφασίαν, τὰ δὲ καθ' ὑπόσισιν, eorum quæ in aëre apparent, alia specietenus existunt, alia autem habent substantiam, ut ita loquar, natura existentiam. Alexander Aphrod. insignis Aristotelis interpret τῶν ἔρων, illud, quod ex urina subsidet, appellat ὑπόσισιν. Aristoteles etiam vocem hanc usurpare solitus est pro eo, quod ex una quaque re subsidet, sive ex ventre, ut in problem. ἐκ τῆν κοιλίαν ἀνθρώπων ἢ ποιάτη συνθλίβεται ὑπόσισις, sive ex sudore ὑπόσισις ἰδρώτῳ pars sudoris subsidens, i.e. ubi sudor subsidet, seu quod ex concretionem aquæ terrena solet subsidere. ὑπόσισιν γῆώδη ἔχουσι σύρρευσίς, utitur itidem Aristot. hac voce de compage tenaci ὑπόσισις κολλάδην, qua ratione docuit Theophrast. lib. 5. de causa plant. quasdam arbores difficile scindi, quia tenaci compage consent.

§. IV. Si aliorum quoque ambiguitatem evolvimus, modo *ῥοίαν καὶ Φύσιν* *essentiam* à Quintil. modo *naturam* à Cicerone, *ἔνεδραν* *insidias* à Sophocle in tragœdia phœnice, *τὰ καρυκεύματα* *condimenta* à Menandro, denique *ἀντίστασιν ῥοίωσιν*, i. e. rebellionem ac defectionem ab Æliano, *συστάσιν* atq; *substitutionem* in locum alterius, ab Herodiano in histor. sui temp. lib. V. v. 7. usurpari deprehendimus.

§. V. Ad sacrarum pagellarum monumenta si descendimus, vocabulum hoc animi *presentiam*, *audaciam*, *fiduciam* exprimere docet Paulus 2. Cor. IX, 4. dicens: ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως in hac *gloriationis confidentia*, quo in sensu etiam adhibuisse illud videtur Polybius & vel in bonam vel malam partem accipit, illo sensu ipsi est *animus presens atque fiducia praeditus*, hoc verò sensu *confidentia*, *contumacia* & *obstinatio*: Ita Polybius de fortitudine atque audacia Coclytis: ἄχ' ἔγω, τὴν οὐκ ναίμην ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτῆ καὶ τόλμαν κτ' πεπλεγμέναν τῶν ἐναντίων. Deinde *ὑπόστασιν* in sacris pro persona accipi testis est Autor Epist. ad Hebræos, Cap I, 3. ubi Filius Dei appellatur *χαράκτιρος τῆς ὑποστάσεως τῆς πατρὸς* *character persone patris*. *ὑπόστασιν* enim h. l. non significare *essentiam* ex eo patet, quod Filius non rectè diceretur *character* seu *imago* *essentia* patris, h. e. *representare* *essentiam* ejus, cum *essentia* patris sit etiam ipsi Filio & Sp S. communis. Quo pacto etiam Theodoretus eam interpretatur quando *ὑπόστασιν* *ὑπερσώπῃ* τὴν εἶναι asserit *Dial. I. lib. 14. p. 6.* Quando denique Hebr. XI, 1. *fides ἐλπίζομένων ὑπόστασις* appellatur, vobulam hanc accipi cernimus de *substantia* seu *existentia* quæ vox apud Vitruvium & Columellam reperiunda, seu certa & non fluctuante animi fiducia, qua res verè existat atque existit, non secus ac oculis nostris quibus cernitur, subiecta sit.

§. VI. Scriptores Ecclesiasticos quod concernit, innumeri ferè de vocabulo *ὑπόστασις* prostant Autorum loci, Patres Concilii Niceni pro natura atque substantia accepere in *expof. fidei*, dum dicunt: τὰς δὲ λέγοντας ἦν πότε, ὅτι σὸν ἦν, καὶ πῶς γεννηθῆναι, σὸν ἦν, καὶ ὅτι ἐξ πολλῶν ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρων ὑποστάσεως, ἢ ἐξ ἑαυτῶν &c: τὰς ἀναθεματίζει καθολικῆ καὶ ἀποστολικῆ ἐκκλη-

ἐκκλησία. Eos autem qui dicunt, erat aliquando, quando non erat,
 & antequam nasceretur, non erat, & quia ex multis jam existentibus
 facta est, aut ex alia hypostasi vel substantia &c. anathematizat
 catholica & Apostolica Ecclesia, in quam etiam sententiam
 abit Ecclesia latina, voces Græcas tum ὑποστάσις, tum ἕσσια, &
 in sua lingua substantiam vertens, cujus verba Athanasius in Epist.
 ad Antiochenſes th. I. p. 577. sic refert: Μίαν λέγομεν ὑπόστασιν,
 ἢ γὰρ ἕσσια, ταυτὸν εἶναι εἰπεῖν, ὑπόστασιν καὶ ἕσσια. Unam dicimus
 hypostasim existimantes, idem esse, dicere hypostasim & substantiam.
 Idem plerisque in libris, quos longè post Nicænæ Synodi, cui &
 ipse interfuit, tempora conscripsit. Nam Epistol. ad Africanos
 inspicientes, legimus: Ἡ δὲ ὑπόστασις ἕσσια θεῶ, καὶ ὑδὲν ἀλλο
 σημακάνον ἔχει, ἢ αὐτὸ, τὸ ἐν ἑπτὲ Ἱερεμίας ὑπαρξίν ὀνομαζέ
 λεων: καὶ ὅτε ἠμῶσαν Φωνὴν ὑπαρξίας ἢ γὰρ ὑπόστασις, & ἕσσια
 ὑπαρξίς θεῶν ἑστὶ γὰρ ὑπαρξίς, hypostasis est usita, neg. significatio
 nem habet aliam, nisi hoc ipsum quod est, quam Hieremias vocat
 existantiam, his verbis: & non audierunt vocem existantiae. Est enim
 & existit. vid. Orat. V. contra Arianos & lib. de Synodis. Synodus
 Sardicensis, cui ipse etiam magnus Athanasius interfuit (teste So
 crate H. E. lib. 2. c. 20.) eodem modo sensit, patet hoc ex Epist. ejus
 Synodali, ad totius Orbis Episcopos scripta, quam affert Theodo
 retus Hist. Eccl. lib. 2. c. 6. p. 595. ubi statuere eos dicit, μίαν εἶναι
 ὑπόστασιν ἢ ἀπὸ τοῖ ἀρεῖκοι ἕσσια ἀνοθεῶσι, τὸ πατρός, καὶ υἱὸς
 καὶ τὸ ἀγίῳ πνεύματι. ib. p. 596.

§. VII. Alii verò Ecclesiae Doctorum ὑπόστασιν ab ἕσσια di
 scernunt, ac pro supposito atque subsistentia seu substantiali sub
 sistendi modo accipiunt, de quibus pauca: Theodoretus l. V. c. 9.
 Constantinopolitanum I. & Oecumenicum II. concilium in Epi
 stol. Synodica quam ad Damasum aliosque Romæ tunc temporis
 congregatos Episcopos misit, ex ordinaria Christiani baptismi
 formula h. m. fatur: ἕσσια μίαν εἶναι, τὸ πατρός, τὸ υἱὸς, ἢ τὸ ἀγίῳ
 πνεύματι ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν ἢ γὰρ τρισὶ τελείοις ὑπο
 στάσεσιν, unam esse patris ac Filii ac Sp. S. usitam in tribus perfectis hy
 postasibus seu tribus perfectis personis. Idem Dial. I. th. 14. p. 6. τὴν
 ὑπόστασιν καὶ τὸ προσωπὸν τὴν ἰδιότητά ταύτην σημαίνειν φάσκει
 τοῖς

τοῖς, τῶν ἀγίων πατέρων ὁμοίως ἀπολαθύνοντες, *hypostasin* ἔσ' *personam* ἔσ' *proprietatem* *idem* significare dicimus, *sanctorum patrum doctrinam* sequentes, quarum patrum mentem optimè assecutus est Leontius, de sectis p. 388. Ἐπιπέσις, dicit, καὶ ὡς ὅσον τὸ αὐτὸ εἶναι τοῖς, *hypostasis* ἔσ' *persona* *idem* est apud illos sanctos patres, Cyrillus itidem in *exposit. orthod. fid.* p. 427. ad *questionem*: Πότῃς Ἐπιπέσις ἐστὶ τῆς θεότητος ὁμολογία; *Quot in Deitate hypostases confiteris?* respondet: τρεῖς, πατέρα, υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα: *Tres, Patrem, Filium, & Sp. S.* hinc etiam apud Hesychium: Ἐπιπέσις ὡς ὅσον, *hypostasis* est *persona*, vid. Suidas in h. voc. Alia quæ apud Gregor. Nazianz. Orat. 21. & Athanasium in Orat. 1. ad Cleod. inveni testimonia, sicco pede præteribo.

§. VIII. Hæc verò diversa vocis *hypostaseos* acceptio, quæ ab aliis pro *essentia*, à multis verò pro *supposito*, aut certa *subsistendi* ratione & modo accipitur, grave ac ingens olim in ipsa Ecclesia Orientali accendebat dissidium. Isti enim, qui unam in Deo *hypostasin* statuebant, *hypostasin* pro *ἁγία* fumentes, hos, qui tres in Deo asseriebant *hypostases*, Arianismi aspergebant maculam, contra, qui tres in Deo *hypostaseis* esse volebant, illos, qui unam tantum in Deo admittebant *hypostasin*, sabellianismi inurebant notam, ac si cum Sabellio unam tantum in Deo personam statuerent: Denique cum, qui tres profitebantur *hypostases*, sententiam suam explicarent, ut omnium oculis exponeretur, eos ab Ariana hæresi longè recedere, & illi, qui unam statuebant *hypostasin*, testarentur, se in Sabellianæ hæreseos studio nunquam nomina profiteri voluisse, controversia hæc sopita, imò planè sepulta fuit, aded, ut postea amicè hac in sententia conspirarent: *vid. Athanas. in Epistol. ad Antioch. th. I. p. 577.* Latini quoque maluerunt dicere tria *πρόσωπα* tres personas, uti monet Greg. Nazianz. Orat. 21. quæ est in laudem Athanas. p. 395. adeoque odio hæreseos Arianae refugiebant dicere tres *hypostases*, quam ob litem inter utramque Ecclesiam subortam instituta fuit Synodus Alexandriæ, convocatis ibi cum magno Athanasio Episcopis, ex Italia, Arabia Ægypto & Lybia, & in ea Synodo urisque auditis rationibusque in utramque partem examinatis lege constitutum est, ut ab hinc hæreseos nomine

miné se invicem non infimularent, neque per inútiles λογισμα-
 χίας pacem Ecclesiæ vel turbarent, vel planè disrumperent, quâ
 de ré exstat Epistola Synodi nomine conscripta ad Antiochen.
 quæ reperitur in Athanas. operibus *ib. I. p. 577.* quâ, quid in Sy-
 nodo conclusum sit, referunt Patres, & Antiochenos ad concor-
 diam excitant, aded, ut nolint de locutionibus istis λογισμαχίαι
 εἰς ἄδεν χρήσιμον μηδὲ πᾶσι τοιάυταις λέξεσι Ἀγμάχεσθαι ἀλλὰ
 τῷ Φρονηματι τῆς εὐσεβείας συμφωνεῖν, inutiliter verborum reci-
 procare pugnam, nec talibus locutionibus dimicare, sed pia mente
 consentire: Et ajunt morosos homines Ἰπὶ πῖς λεξείδοις Φιλο-
 νεκῆντας, non ob aliud rixari nisi quod Ecclesiastica pacis odio in-
 flammari ipsius schismate delectentur. Hujus Synodi Alexandrinæ
 mentionem faciunt *Baronius & Calvisius ad ann. Christi 347.* item
libellus Synodicus. Imperium tum obtinebat Julianus Apostata,
 Ex illo tempore & Latini tres υποστάσεις & Græci tres personas
 eodem sensu dicebant, testis est Gregor. Nazianz. Orat. 39. p. 630.
 Item Orat. 32. p. 520.

§. IX. Denique ad Philosophos recentiores si devenimus,
 illorum significatio vocabulo hypostaseos adscripta vel concre-
 tiva est, vel abstractiva: *concretivè* ipsis est *quodlibet subsistens*,
 quod Græci ὑφιστάμενον vocant, quo in significato dudum hoc
 vocabulo usus est Damasc. in Dial. c. 421, *abstractivè* autem usur-
 patam hanc vocem SUBSISTENTIAM, quæ modum existendi
 dicit, nominant, quod passim in opere suo Metaphysico insinuat
 Scholasticorum non infimus *Suarezius*, quem secuti sunt celeberrimi
 Metaphysici Scheiblerus, Hebenstreitius, aliique. Quorum
 vestigiis insistentes in ultima hac significatione vocem ὑφιστάσεως
 accipere, ejusque naturam in præsens exquirere decrevimus.

§. X. Quibus præmissis ad rem denique propositam ipsius
 nimirum subsistentiæ investigationem accessisse, operæ fuerit præ-
 tium. Cum autem *definitionem* explicativam rei orationem esse
 neminem facile lateat, ab hac si & nos institutum nostrum con-
 tinuare aggressi fuerimus, errandi periculo nos exponi haud equi-
 dem putaverim. Varias igitur variorum definitiones nunc si-
 lentio involutas, in suo linquentes pretio, hanc *subsistentiæ de-*
finitionem

initionem suffecturam judicavimus: quod sit *modus existendi substantiæ primæ completæ incommunicabilis & aliundè non sustentata*, seu brevibus: *modus existendi suppositi*.

§. XI. Dicitur (1) *modus existendi*; per quem intelligitur circumstantia seu ratio *essentiæ rei superaddita* v.g. hic homo, quando stat, aut sedet, aut jacet, tunc hi situs sunt modi seu rationes, sub quibus hic homo existit, qui proinde modi essentiæ hujus hominis sunt superadditi, sic etiam hæc essentia v.g. Petri, aut existit independentè à subjecto, & est *substantia*: aut præterea incommunicabiliter, & est *substantia primæ*; aut denique non aliundè sustentata, & est *suppositum*. Hic tamen existere *independentè à subjecto, incommunicabiliter, non aliundè sustentatum*, sunt puri modi, essentiæ Petri superadditi, indicantes: quomodo Petrus existat, qui aliter existere potuisset, essentia ejusdem nihilominus manentè salvâ, cum potuisset existere in subjecto, & esse *accidens, communicabiliter*, & esse *substantia secundæ, aliundè sustentata*, & esse *substantia incompleta*, quæ sanè omnia essentiæ nihil detraxissent.

§. XII. Dicitur (2) *Substantiæ*, quod si enim de modo existendi accidentium agendi nobis fuisset animus, in subsistentia modum hunc consistere nentiquam dixissemus, horum enim existendi modum potius in inhærentia subjectiva, quam subsistentia, sive ea sit propria, sive aliena, situm esse persuasi sumus; sicut ergo hæc in suppositorum numerum venire nunquam possunt, ita nec *subsistentiam* tanquàm suppositorum abstractum iisdem competere consequens est. Ne tamen id, quod modus existendi substantiæ præsto sit, ad subsistentiam prorsus sufficere dicamus, idè

§. XIII. Additur (3) *primæ*, quod ipsum substantiarum *secundarum* seu universalium existendi modum à *subsistentia*, quippe quæ substantiam *primam* requirit, separat, quamvis enim nulli diffiteamur, modum existendi in substantiis secundis per se talem esse, sine ulla in subjecto inhærentia, nondum tamen hæc immunitas ab inhærentia subjectiva in substantiis etiam *secundis* deprehensa ad totam *substantiæ* naturam exhauriendam suffecerit, sed hæc in substantiis demum primis est quærenda, quæ ita subsistunt, ut pluribus extra se non communicentur, cum contra substantiæ *secun-*

secundæ suis individuïis tanquam substantiis primis communicentur, & non nisi in iis existant, v.g. homini tanquam speciei nulli inest subsistentia, cum communicetur pluribus diversis entibus, nimirum individuïis humanis sub homine contentis, at verò hic homo, seu individuum humanum, v.g. Petrus tanquam substantia prima, suâ gaudet subsistentiâ, cum per se subsistat & nulli sit communicabilis.

§. XIV. Pergimus (4) *completa*, nondum enim exhauriendæ subsistentiæ par est *modus existendi substantie primæ*, nisi hæc *substantia prima* sit simul *completa*, incompleta enim substantia ad aliud quippe suppositum constituendum coordinata, nunquam est apta, quæ *subsistentiam* in conceptu suo totali includat, hæc enim cum sit pars tantum alterius cujusdam suppositi, subsistentiam suam in eo demum supposito, ad quod perficiendum & complendum est ordinata, quærat, necesse est, cum unius suppositi, una tantum sit subsistentia, quarum cæteroquin plures statueremus, si substantiæ incompletæ suam subsistentiam ad scriptam velimus v.g. manus hominis tanquam substantia incompleta ad complendum totum hominem coaptata propriè non subsistit, demum substituta, quod si tanquam pars integralis totum aliquod integrale hominem videlicet constituendum ingrediatur. Sic etiam v.g. anima hominis tanquam substantia *incompleta* cum suppositi nomine nunquam veniat, subsistentiam habere non dicitur, hæc enim tanquam pars aliqua essentialis, ad totum aliquod essentialia nempe hominem constituendum est ordinata, sua demum subsistentia gavisura, quando hujus tanquam substantiæ completæ constitutionem ingressa fuerit.

§. V. Adjicimus (5) *incommunicabilis*; ubi communicabile illud est, quo quid inferioribus æqualiter communicatur cum sui multiplicatione v.g. homo Petro, Paulo, Johanni quodcumque, ergo suppositum ita communicabile est, ad constituendum subsistentiæ subiectum nunquam est aptum: Hanc verò non solam, sed eam insuper communicabilitatem abesse jubemus, qua idem numero pluribus communicatur, quamvis non cum sui multiplicatione: Cujusmodi quidem exemplum unicum universa re-

rum natura suggerit, nimirum in mysterio Trinitatis, ubi una & eadem numero essentia divina tribus in divinitate personis communicatur, non quidem ut in iis multiplicetur, sed ita, ut etiam in tribus distinctis istis personis una sit & maneat. Hanc itaque essentiam divinam, ut in iis, quibus communicatur, non multiplicatam propter suam *communicabilitatem* tamen subsistentiam importare negamus; quanquam enim quod probè tenendum, essentiam Dei, tanquam *substantiam primam completam* communicabiliter subsistere nulli dubitemus, hanc tamen subsistentiam *generalem* tantum, atque suppositi formale neutiquam constituere in aprico est, hoc enim ad determinandum suum existendi modum *specialem* exegerit *subsistentiam* generali illà nunquam contenta. Quà occasione dicere non fuerit absurdum, in Trinitate quatuor reperiri *subsistentias*, unam quippe *generalem*, quæ est essentia divinæ, tanquam substantiæ primæ, tres vero reliquas *speciales* supposita tria indicantes.

§. XVI. Concludimus denique (6) *non aliunde sustentate*, etsi itaque prædicta requisita omnia in aliquo *existendi modo* repereris, quod nimirum sit *modus substantiæ primæ completæ incommunicabilis*, nunquam tamen eundem subsistentiam dixeris, si *aliunde sustentata* sit illa substantia, exemplum hic nobis suppeditat mysterium incarnationis, quo mediante duas quidem essentias ac naturas in Christo deprehendimus, unam divinam, humanam alteram, & hanc quidem *substantiam primam completam incommunicabilem esse* nemo est, qui neget, cum aut ultimum ipsi requisitum desit, *non aliunde esse sustentatum*, ejus modum existendi subsistentiæ *specialis nomen* amittere sponte sua consequitur.

§. XVII. Hic statim difficilis sese offert quæstio bene notantibus B.D. Baiero Comp. Theol. posit. p. m. 242. & Dn D. Hebenstreit, Præceptore venerando Philos. primæ part. I c. 1. thes. XVII. XVIII. nimirum cum hic existendi modus sive subsistentia cum ipsa natura, totum aliquod suppositum, sive illud intelligens, & persona dicatur, sive minus, & suppositum non intelligens appelletur, constituere apta sit, quæstio cuiusmodi suboriri haud dubie posset, quidnam suppositum, quemadmodum terminus concre-

tus

tus est, in casu recto importet? seu quid nam istorum, ex quibus constat suppositum, ad naturam illius suppositi propius accedat, ita ut hoc in casu recto de supposito prædicetur, illius prædicatione in casu obliquo relicta, sit ne illud *natura* tanquam *subiectum*, an verò *subsistentia* tanquam *forma*? & hic utrinque animus pressura est fluctuatio, ut quo te vertas, nescias: Nam si dixeris, quod suppositum in casu recto subsistentiam, in casu obliquo naturam denotet, ut hæc emergat propositio: *Suppositum est subsistentia nature addita*, idem futurum videbitur, ac si dicatur, hominem tanquam terminum concretum esse humanitatem, subiecto humano additam, album esse albedinem, huic albo additam, quod ineptum. Sin aut naturæ primum hic assignaveris locum, eamque in casu obliquo de supposito prædicari debere, pronuntiaveris, hoc modo; *Suppositum est natura habens subsistentiam*, non apparet, qui maximam hanc heterodoxias notam effugeris, ut admittis in una essentia divina tribus suppositis & subsistentiis, non simul tres naturas aut essentias divinas esse tacite largiaris; Quamobrem responsionis loco hoc dicendum videbitur, quod suppositum seu persona, non cum allatis istis concretorum exemplis homine nimirum albo, aliisve, sed cum corporibus naturalibus eorumque conjunctionibus quandam habeat analogiam; Sicuti enim in iis, seu ex materia & forma constantibus nunquam una compositi pars totum compositum in casu recto notat, quemadmodum quidem in concretorum quorundam expositione usu venit, sed id, quod totum compositum in casu recto notare, & cum eo prædicari debet, sunt utraque compositionis pars junctim sumtæ, v. g. animal ex corpore & anima compositum in casu recto neutram hujus compositionis partem seorsim in sui prædicatione admittit, sed utramque requirit; Ita quoque de supposito censendum est, neutra ejusdem pars, nec natura nec subsistentia illud in casu recto notant, sed utraque & natura & subsistentia in casu obliquo junctim cum ipso supposito prædicari apta sunt, adeo, ut dicere non possim, suppositum est natura, nec suppositum est subsistentia, sed suppositum est aliquid ex natura & subsistentia conflatum, quemadmodum non

dico : animal est corpus, aut animal est anima, sed animal est aliquid ex corpore & anima conflatum. vid. Petrus Musæus introd. in loc. de persona Christi §. XLVI. & XLVII.

§. XVIII. Quodsi fortasse regefferis, imò suppositum ex natura & subsistentia conflatum quid in casu recto dicere, sed tunc admissis in Deitate tribus suppositis, admittenda quoque esse tria ex natura & subsistentia conflatà, adeoque cum *tribus subsistentiis tres naturas ac essentias*? Resp. tria ex natura & subsistentia conflatà nos hinc admittere concedimus, tres verò essentias in Deitate hoc ipso nos statuere negamus, unum absque altero consistere posse certò persuasi, quidni enim tres hæc subsistentiæ unam hanc naturam ac essentiam ex æquo participant, adeò, ut qualibet subsistentia cum unâ eademque essentiâ divinâ suppositum constituat, & tria quidem ex subsistentia & natura conflatà in Deitate reperiri dicimus, sed ita, ut subsistentia patris cum essentia divina peculiare suppositum, subsistentia Filii cum eadem essentia peculiarem personam, subsistentia Sp S. cum illa ipsa natura divina peculiare ex subsistentia & naturâ aggregatum constituent.

§. XIX. Usus hujus de subsistentiæ doctrinæ elucet insignis in LL. Theologis de Mysteriis Trinitatis atque incarnationis, tanquàm articulis fidei maxime fundamentalibus, iisque, primariis, quod enim primum attinet, maxima vel hæc in quæstione conspicitur difficultas: *Anne in essentiâ divinâ statuis tribus reapse distinctis personis tria reapse distincta admittenda sint supposita*? Quocumque hic sive ad affirmativam sive negativam hujus *reapse distinctæ* sententiam deflectaris, anxietas animum subibit ex utroque capite. Quodsi enim in affirmativæ patrocinium inclinaveris, uti rationi rectæ statim magis apparebit congruum, videbimus quemnam in errorem non sis prolapsurus, conclusit enim antagonista h. m. suppositis multiplicatis multiplicantur substantiæ, cum substantia sit suppositi genus, his verò substantiis multiplicatis, multiplicatur essentia, quâ ratione in manifestum errorem esses prolapsurus, sin verò negativæ sententiæ subscripseris, contradictionis retæ vix effugeris, suppositum n. est genus personæ, qua-

RUM

nam Trinitate adstructa, & illius Trinitatem negare haud valueris. Quamobrem sententiam affirmativam serupulo eidem injecto hoc fortasse modo satisfecerimus, quod assertum illud, quo perrexit antagonista: *multiplicatis suppositis multiplicantur substantiae*, non sit universalis veritatis, hanc enim, quamvis in suppositis finitis atque creatis procedere ultrò largiamur, de suppositis tamen ut sic, & in communi idem obtinere negamus, datur enim ad huc alius generis suppositum, nempe infinitum, adeò, ut sub allata propositione instantia ab eodem petita subsumere non ita ridiculum sit, uti quidem apparuerit, hoc quippe modo, *multiplicatis suppositis, multiplicantur substantiae*: Atqui subsumo, in Deo multiplicantur supposita, nec tamen multiplicantur substantiae, hæc inquam instantia ab eodem petita non adeò est inconveniens, nam plures hujus generis instantiae non prostant, cum plura infinita ac increata non dentur, quod si autem plura infinita dari per impossibile posuerimus, instantiam aliunde petitam suppeditandam promittimus, res non absimilis est huic exemplo: quod si enim quis de Christo argumentaretur: Q. est homo, is est peccator, atque Christus est homo, Ergo est peccator; major hic negatur, rectè petita ab eodem Christo instantia.

§. XX. Hisce tamen non omnis sublata videbitur in hæc doctrina difficultas; assertis enim in divinitate *trinitatem* trinam, essentialique unam, haud obscure subsistentiae atque essentiae in Deo diversitatem innuere, atque adeo insignem simplicitati divinae labem injicere apparebimus, quandoquidem enim *trinitatem* illam trinam ad veram personarum trinitatem adstruendam realem inter tres has distinctas subsistentias differentiam connotare; essentiam nihilominus unicam manere maximopere propugnemus, non possumus non quin Deum in essentia alium, alium in subsistentia esse dicamus. Argumentum fortassis huc rediret: Quicquid admittit numerum ternarium illud realiter differt ab eo, quod nihil præter unitatem numerat, Atque subsistentia in Deo admittit numerum ternarium, E. substantia in Deo ab ejus essentia, quæ præter unitatem nihil numerat, est realiter diversa: Major æque est concedenda ac diversitas personarum divinitatis inter se

statuenda, quod si enim exceperis, essentiam atque subsistentiam in Deo non realiter, sed formaliter, & secundum nostrum concipiendi modum differre; eadem ego facilitate reposuero, & personas divinas inter se non realiter, sed quoad nostrum saltem concipiendi modum differre; quod tamen absolum. Itaque nostra fortassis hic merebitur applicari descriptio, quod subsistentia *fit modus existendi substantie singularis completa in communicabilis non aliunde sustentata*. Nimirum modus rei, qualis hic est subsistentia, potest esse triplex, essentiâ manente unâ: Instabis forsitan, attamen modus à re, cujus est modus, distinguitur realiter, si hoc, etiam in Deo distinguendus est, in quem adeo vera ceciderit compositio ex re & rei modo. Sed ad hoc resp. rem & omnem rei modum realiter non discerni, sed tamen ideò non ad nostrum saltem concipiendi modum hanc distinctionem coarctari debere, verum dicendum hic esse, rem & rei modum, essentiam & subsistentiam divinam distingui *virtualiter*, cujus generis distinctio intercedit inter intellectum & voluntatem hominis, & quæ alia ejusmodi distinctionis exempla essent reperiunda; Ad argumentum itaque allatum, Resp. majorem; de differentia quippe *reali* intellectam simpliciter non procedere, cum solum *virtuale* discrimen hic possit habere locum.

§. XXI. Ad complendam totam doctrinarum hæc de re in Mystério Trinitatis occurrentium seriem hanc solummodo quæstionem salvâ venerandorum Theologorum pace addidisse licebit, quod cum Deus Filius à Patre essentiam eandem numero communicatam acceperit, annon & eandem numero subsistentiam ipsi communicaverit pater? ubi negativam tuentes dicimus, (1) quod, quando Filium in divinis & essentiam & subsistentiam Deo Patri per æternam generationem acceptam ferre dicimus, patrem *non totum essentia, sed totam essentiam* eidem communicasse statuamus, nimirum, audito termino Dei patris *personam* adeoque & essentiam & subsistentiam concipimus, quod si jam *totum essentia* Deum Patrem Filio communicasse staueremus, Filium cum essentiâ eadem subsistentiam quoque eandem numero paternam à patre accepisse largiremur, *totum verò essentiam* sine ullo errandi periculo

culo Filio communicatam tribuimus cum hac ratione essentiam patris subsistentiæ contradistinctam concipimus, (2) formalis ratio subsistentiæ Filii Dei in eo consistit, quod essentiam suam à patre communicatam acceperit, hoc ipso enim Filius Dei est Filius, adeoque persona, quodsi hoc, eo ipso, quod essentiam communicatam habet Filius, habet etiam subsistentiam, cum persona non sit sine subsistentiâ, qua ratione non est, quod quæras: unde E. & quamnam Filius Dei subsistentiam acceperit? resp. enim concessio, quod essentia ipsi sit communicata, conceditur quoque, quod subsistentiam quoque hæc communicatione peculiari acceperit, cum ipsa essentia communicatio, in Filio sit ipsa peculiaris Filii subsistentia, à subsistentia patris diversa.

§. XXII. Similiter cum essentia & subsistentia Sp. S. comparatum est, hic enim essentiam suam à patre & Filio per æternam Spirationem communicatam nactus, hoc ipso, quod essentia eidem est communicata, subsistentiam à subsistentiâ patris diversam consecutus est, quod autem simul & à Patre & à Filio hæc sua sibi essentia accepta feratur, subsistentia ejus à subsistentia Filii discrepat.

§. XXIII. Alterum quod attinet hujus doctrinæ usum, qui in loco Theol. de incarnatione ultra sese offert, dicunt Theologi nostrates atque philosophi: Quemadmodum in Mysterio Trinitatis est $\alpha\lambda\lambda\omicron\textcircled{c}$ & $\alpha\lambda\lambda\omicron\textcircled{c}$ alius atque alius, seu alia atque alia persona, non verò $\alpha\lambda\lambda\omicron$ $\eta\upsilon\iota$ $\alpha\lambda\lambda\omicron$, alia atque alia essentia, ita in Mysterio incarnationis $\alpha\lambda\lambda\omicron$ $\eta\upsilon\iota$ $\alpha\lambda\lambda\omicron$, aliud atque aliud, seu alia atque alia natura & essentia, non verò $\alpha\lambda\lambda\omicron\textcircled{c}$ $\eta\upsilon\iota$ $\alpha\lambda\lambda\omicron\textcircled{c}$, alia atque alia persona adesse recte admittitur. Venerandi enim Theologi admissa in Christo unitate personæ unam tantum in ipso subsistentiam adesse acriter propugnant, cum E. nihilo minus binas in eodem naturas deprehendamus, alterutram earum propriâ carere subsistentiâ necessum fuerit, aliàs enim in Christo duæ statuerentur subsistentiæ, & per consequens duæ personæ, cum personæ formale sit subsistentiam connotato intellectu, de divinâ autem naturâ dicere verebimur, eandem propriâ carere subsistentiâ, adeoque humanæ naturæ $\psi\omega\sigma\iota\sigma\iota$, ut suppleatur, opus habere, hæc enim

enim uti verè ab æterno fuit Deus, atque secunda divinitatis persona, ita notionem personæ obtinuit antequam humana natura accederet, quare ab ea suam subsistentiam, seu hoc, quod sit persona, accepisse non est dicenda; Igitur humanæ Christi naturæ hanc carentiam adscripsisse coacti, dicimus: Humanam Christi naturam alienâ, divinæ nempe naturæ subsistentiâ esse sustentatam. Neque est quod arbitrè: Humanam Christi naturam hoc pacto, quod subsistentiâ propriâ destituatur, nostrâ naturâ propriâ quippe subsistentiâ gaudente imperfectiorem fieri; perfectio enim rei ex ipsa rei essentiâ non ex substantia æstimanda venit, hic itaque defectus, quod Humana Christi natura propria ~~essentiâ~~ destituitur, per subsistentiam divinam quâ sustentatur, largissimè suppletur. *vid. D. Baier. Comp. Theol. pos. part. III. sect. 1. S. 3. Dn. D. Hebenstr. philosoph. prima p. m. 277.*

FINIS.

Συδερόξυλα.

- I. Definitio subsistentiæ, quod sit id, quo suppositum est suppositum: inepta est.
- II. Aquas supracœlestes dari cum Jenensibus nego,
- III. Vitium morale formaliter positivum quid includere admodum dubitaverim cum iisdem,
- IV. Quin imo vitij speciem deprehensurus, cujus ne materiale quidem præter puram privationem quicquam importaverit.
- V. Nullum universale in rerum natura existit.
- VI. In actionibus moralibus neque contra neque secundum conscientiam erroneam agendum est,
- VII. Locus & spatium sunt nihil:
- VIII. Animam per Creationem propagari probabilius est ac per traducem.



05 A 123

ULB Halle


3


003 764 656



V 17







ΥΠΟΣΤΑΣΕΩ-
ΓΡΑΦΙΑΝ
Philo-Theo-sophicam

Benevolo
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
INDULTU,

In Celeberrima Wittebergensium Academia
sistunt

PRÆSES

M. GEORG. ANDR. SYBELIUS,
Sufato-Westphalus,

Et

RESPONDENS

JACOBUS BONNERUS,
Saxomonte Waldeccus,

*Ad diem XXVI. Junii Anno M DCC.
boris consuetis matutinis.*

VITEMBERGAE,
Ex Officina CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.